Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

in spe peccamus, quinimmo neque fiducia illa dicenda sit, sed insen-
sibilitas quedam et dissimulacio perniciosa. Que enim fiducia
ei, qui periculum non attendit? aut quod remedium ibi timo-
ris, ubi nec timor sentitur, neque materia ipsa timoris? Fi-
ducia solacium est; neque eget ille solacio, qui letatur cum
male fecerit, et in pessimis rebus magis exultat. Roge-
mus itaque fratres responderi nobis, quantas habemus iniquita-
tes et peccata, scelera et delicta nobis desideremus ostendi. Scru-
temur vias nostras et studia nostra, pericula quoque universa vigili inten-
cione ~~curem~~ pensemus. Dicat quisque in pavore suo: vadam
ad portas inferi, ut iam non nisi in sola misericordia dei respiremus. Hec
vera hominis fiducia, a se deficientis et innitentis domino deo suo.
Hec inquam vera fiducia, cui misericordia non negatur, propheta attes-
tante: quoniam beneplacitum est domino super timentes eum. Neque prava utique
nobis suppetit; in nobis quidem timoris, in ipso autem fidu-
cie causa. Suavis et mitis est, copiose misericors, prestabilis
super malicia, iustus ad ignoscendum. Credamus sane vel
inimicis, qui in eo nil aliud, unde occasionem struende
calumpnie caperent, invenerunt. Conpacietur aiunt pec-
catrici, nec sibi oblatam ullatenus patietur occidi. Te-
nebitur itaque manifestus adversarius legis, cum absol-
verit lege dampnatam. In vestrum O pharisei caput tota vestre
malignitatis adinvencio retorquetur. Diffiditis cause,
qui iudicium subterfugitis. Nam illa sine iniuria le- que
gis absolvitur, que sine accusatore relinquitur. Sed con-
sideremus fratres, quo nam hinc habeant pharisei. Videtis ne
duos senes ~~ase~~ nam a senioribus exire ceperunt, quoniam
Joachym in pomerio absconduntur. Susannam querunt in vo